

moderante natura, conamina sua molitur; Sed prater hæc, tempus ad operationem atque anni tempestas magis idonea pro transplantatione ad libitum eligi, ut & corpus insitioni subjiciendum congruis adminiculis ad recipiendum illam ex arte preparari disponique poterit; Quod revera maximi ad salutarem faustumque morbi successum momenti censeri debet.

De hac re vide etiam *Philos. Transf.* No. 339.

III. *Problematis Mathematicis Anglis nuper propo-* *siti Solutio Generalis.*

IN Actis Eruditorum pro mense Octobri Anni 1698.
pag. 471. D. *Johannes Bernoullius* hæc scripsit.
Methodum quam oportaverat generalem secandi
[Curvas] ordinatim positione datas sive algebraicas sive
transcendentales, in angulo recto sive obliquo, invaria-
bili sive data lege variabili, tandem ex voto erui: cui,
Leibnitio approbatore, ne y_p addi posset ad ulterio-
rem perfectionem, & vel ideo tantum quod perpetuo
ad æquationem deducat: in qua si interdum indetermi-
natæ sunt inseparabiles, methodus non ideo imperfecti-
or est, non enim hujus sed aliis est methodi indetermi-
natas separare. Rogamus igitur fratrem ut velit suas
quoque vires exercere in re tanti momenti. Suscepti
laboris non pœnitabit, si felix successus fructu jucundo
compensaverit. Scio relicturum suum quem nunc foveat
modum, qui in paucissimis tantum exemplis adhiberi
potest.

Hi tres Viri celeberrimi sese, jam ab annis quatuor vel
quinque circiter in solvendis hujusmodi Problematis ex-
ercuerant. Absque spiritu divinandi eandem solutionem
cum *Bernoulliana* tradere difficile fuerit. Sufficit quod Solu-
tio sequens sit generalis, & ad æquationem semper
deducat.

P. & C. B.

P R O B L E M A.

Quæritur Methodus generalis inveniendi Seriem Curvarum, quæ Curvas in serie alia quacumque data constitutas, ad angulum vel datum vel data lege variabilem secabunt.

Solutio.

Natura Curvarum secundarum dat Tangentes earundem ad intersectionum puncta quæcumque : & anguli intersectionum dant perpendicula Curvarum secantium ; & perpendicula duo coeuntia, per concursum suum ultimum, dant centrum Curvaminis Curvæ secantis ad punctum intersectionis cujuscumque. Ducatur Abscissa in situ quo cumque commodo, & sit ejus Fluxio Unitas ; & positio perpendiculi dabit Fluxionem primam Ordinatæ ad Curvam quæstam pertinentis ; & Curvamen hujus Curvæ dabit Fluxionem secundam ejusdem Ordinatæ. Et sic Problema semper deducetur ad æquationes. *Quod erat faciendum.*

Scholium.

Non hujus sed alijs est methodi æquationes reducere, & indeterminatas separare, absolutè si fieri possit, sin minus per Series infinitas. Problema hocce, cum nullius fere sit usus, in Actis Eruditorum annos plures neglectum & insolutum mansit. Et eadem de causa solutionem ejus non ulterius prosequor.